

# EPISTOLA DEDICATORIA.

sub ejus initium ob oculos fuit positum ; necnon literis insuper quamplurimis, à viris magni nominis, quā in Ecclesia, quā in Rep. domi, forisque ad me missis, (quarum magna pars, uti etiam Bibliothecæ meæ, cum multa supellecstile & tricenis Lexici Heptaglotti exemplaribus, in flammis periit Londinensibus) me submisi invitus admodum, animoque (quod testabitur ὁ Καρδιολόγος) multum horrescente, quodq; satis superque noverunt illi omnes summi viri, qui me promissis tum auxilii, tum etiam remunerationis ad isthac non pelleixerunt tantum, sed vi quadam urgenter impulerunt. Mibi verò, in Molendino hoc per tot annorum lustra indesinenter occupato, dies ille tanquam festus & otiosus visus est, in quo tam Bibliis Polyglottis, quam Lexicis hisce provehendis, sexdecim, aut octodecim horas dietim non insudavi. Mitto privata quæ corpori in curriculo hujus Operis contigerunt mala, membrorum confractiones, luxationes, contusiones ; quodque præ omnibus hisce gravissimè dolet, Oculorum lumen, perpetuis atque indefessis vigiliis tantum non ademptum : item alia magis publica, Bellum nationale, Pestem sævissimam, & miserandum Urbis hujus incendium; quibus omnibus diutius multi ut protractum fuit hoc antea languens negotium, ita supra modum ingravescebant simul onera mea & impensa. Dictum illud sapientissimæ in suo tempore gentis, mihi hic favet, **חִזְקָה שָׁאַנְתָּו נִיכְרָא אֵז טְמִיחָה** Damnum illud nullum est, quod non agnoscitur, vel sentitur. Sunt tamen præter hæc omnia, aliæ insuper (nec paucæ nec parvæ) quibus gravatus fui infælicitates, quas satius atque consultius puto, silentio contegere, quam non sine periculo in publicum proferre.

Tandem verò, cùm ad Culmen jam perductus fuit miseriарum mearum cumulus, duplicatis quasi lateribus, Θεὸς δότῳ μηχανᾷ T.M. tempestivè mibi succurrit, idque multis modis. Primò, Literis ad omnes Archiepiscopos, Duces, Marchiones, Comites, Vice-comites, Episcopos, Barones, aliósque totius Regni Subditos, hujus Operis recommendatitiis. Quas insecutæ sunt aliæ, & RR. DD. Archi-Episcopis, Reverendisque admodum DD. Episcopis singulis subsignatae. Item ante quinquennium aliæ, à Reverendiss. Honoratissimó que Præsule, Patrono meo valde benefico, GILBERTO Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primate, ad singulos suæ Provinciæ Episcopos conscriptæ. Quas omnes prelo commisi, quasdam non semel, at successie parum felici. Enimvero universæ hæ literæ plus minus septingentas libras tantum mibi vorre-

nes, aliisque totius Regni Subditos, hujus Operis recommendatitiis. Quas insecuræ sunt aliæ, à RR. DD. Archi-Episcopis, Reverendisque admodum DD. Episcopis singulis subsignatae. Item ante quinquennium aliæ, à Reverendiss. Honoratissimó que Præsule, Patrono meo valde benefico, G I L B E R T O Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primate, ad singulos suæ Provinciæ Episcopos conscriptæ. Quas omnes prelo commisi, quasdam non semel, at successu parum felici. Enimvero universæ hæ literæ, plus minus septingentas libras tantum mibi porrexerunt, ad promovendum Opus, in quo millenas multiò plures infastis exhausi; præter plurima atq; ingentia valde, quæ contraxi debita. Quid quod, prænominatae collectæ summæ pars maxima, quadringentæ sc. libræ, procuratione atque operâ solertissimâ prudentissimâque, Reverendi admodum in Deo Patris S E T H I D. Episcopi Sarisburiensis, intra quatuordecim dies fuerunt conquisitæ?

Ante triennium, M.T. Sacellanus Ordinarius factus sum, atque hoc pacto concessa sunt mibi Privilegia quædam, quo huic Operi securius incumberem. Ante annum, donavit me M. T. Canonicatu in Ecclesia Cathedrali C H R I S T I Cantuariensi; necnon nuperrimè Dispensatione pro absentia mea ab eo loco, partim ob munus aliud (in quo laboris multum, emolumenti mibi adbuc vix quidquam) quod mibi demandatum est in Academia Cantabrigiensi, illinc longè dissipata; partim ob Corpus tot, tamque diris vexatum casibus, ad itinera omnino nunc ineptum.

Pro omnibus hisce T. M. tot tantisque beneficiis, atque præ omnibus, quod ad hæc tam ardua, (modo me pereunte, ea Ecclesiæ C H R I S T I profuerint, & Reipublicæ Literariæ) jussus fui, quod unicum, & quidem solum jam mibi restat, Deum O.M. veneror, ut M. T. concedat pacatum, ac indies magis magisque florens Imperium domi, Victorias famigeratissimas foras, Valetudinem supra terras, plusquam pancraticam, atque serò tandem in Cœlis, Coronam sempernam: Ita votet,

Serenissimæ T. M. à Sacris,

EDMUNDUS CASTELLUS.